

# BIHANG

TILL

## KONGL. SVENSKA VETENSKAPS-AKADEMIENS HANDLINGAR.

---

TJUGUFEMTE BANDET.

AFDELNING IV.

ZOOLOGI, OMFATTANDE BÅDE LEFVANDE OCH FOSSILA FORMER.

---

STOCKHOLM 1900. P. A. NORSTEDT & SÖNER.

## INNEHÅLL AF TJUGUFEMTE BANDET.

### Afdelning IV.

(Zoologi, omfattande både levande och fossila former).

---

	Sid.
1. THORELL, T. <i>Aranæ Camerunenses</i> ( <i>Africa occidentalis</i> ), quas anno 1891 collegerunt cel. Dr Y. Sjöstedt aliiqve .....	1-105.
2. SJÖSTEDT, Y. Beiträge zur Kenntniss der Insektenfauna von Kamerun. N:o 6. Odonaten aus Kamerun .....	1-62.
3. BENGTTSSON, S. Ueber sogen. Herzkörper bei Insectenlarven. Zugleich ein Beitrag zur Kenntniss der Blutgewebe. Mit 2 Tafeln.	1-23.
4. MODIN, E. Anteckningar om Härjedalens fauna .....	1-29.
5. SMITH-WOODWARD, A. Notes on Fossil Fish-remains collected in Spitzbergen by the Swedish Arctic Expedition 1898. With 1 plate .....	1-7.
6. SJÖSTEDT, Y. Beiträge zur Kenntniss der Insektenfauna von Kamerun. N:o 7. Mantodeen, Phasmodeen und Gryllodeen aus Kamerun und anderen Gegenden Westafrikas. Mit 1 Tafel .....	1-36.

---

# ARANEAE CAMERUNENSES

(AFRICAЕ OCCIDENTALIS)

QUAS ANNO 1891

COLLEGERUNT CEL. DR. Y. SJÖSTEDT ALIIQUE

ET ENUMERAVIT

T. THORELL.

COMMUNICATUM D. 8 FEBRUARII 1899.



STOCKHOLM  
KUNGL. BOKTRYCKERIET. P. A. NORSTEDT & SÖNER  
1899

## Araneæ Camerunenses.

Clar. D:r YNGVE SJÖSTEDT, qui plus annum in agro Camerunensi, in horreo mercium Dom. KNUTSON, VALDAU et HELLBORN peregit, insectis aliisque animalibus eorumque vitæ et moribus summa sollertia et doctrina studens, messem abundantissimam præsertim *insectorum*, domum secum duxit et in museo, quod Holmiæ est, deposuit. Araneas, quas in eadem terra collegit, Ill. Professor CHR. AURIVILLIUS, collectionibus illis Entomologicis præpositus, mihi commisit, ut eas describerem; quod mandatum, quantum in me erat, paginis insequentibus perfecit. Species diversæ, quas ex Camerun accepi, 129 sunt, quarum 102 novæ videntur et modo 27 aliis locis adeo dilucide descriptæ fuerunt, ut eas ex descriptionibus agnoscere potuerim. Non omnes species certo determinare potui: nonnullæ enim aut juniores, aut vitiosæ sunt ideoque omittendæ. Ad species a Cel. SJÖSTEDT collectas paucas addidi, quæ a Dominis KNUTSON et VALDAU in Camerun repertæ sunt.

De locis Africanis, ubi D:r SJÖSTEDT commoratus est, vid. præsertim ejus: Från Kamerun, Några drag ur insektlivet omkring Bonge vid tiden mot torrperiodens inträdande, in Entomologisk Tidskrift, 1893, p. 97—119; — CHR. AURIVILLIUS: Beiträge zur Kenntniss der Insektenfauna von Kamerun: 2., ibidem, p. 257 et seq.

## Ordo Araneæ.

## Subordo Parallelodontes.

## Tribus Territelariæ.

## Fam. Theraphosidæ.

## Subfam. Ctenizinæ.

Gen. *Acantodon*<sup>1</sup> GUÉRIN.

1. *A. curvipes* n., cephalothorace in medio crasso et alto, piceo, fovea centrali profunda et fortissime procurva, oculis duobus anticis (lateralibus anticis) rotundis spatio diametro sua paulo minore separatis, mediis anticis rotundis quoque lateralibus anticis pæne duplo majoribus, spatio dimidiam diametrum suam saltem æquante separatis; oculis 4 posticis in lineam procurvam ordinatis, mediis posticis rotundatis lateralibus posticis oblongis minoribus (et lateralibus anticis angustioribus sed non brevioribus) et ab iis spatiis evidenter minoribus quam quo illi inter se distant remotis; rastello mandibularum e dentibus brevibus formato et intus in apicem producto; labio paullo longiore quam latiore, ad apicem obtusum spinulis circa 3 crassis armato, maxillis intus spinulis sat multis ejusmodi intus a basi ad apicem obsitis; pedibus piceis, pedibus anterioribus aculeis fortibus sat densis utrinque in tibiis, metatarsis et tarsis armatis, patella, tibia, metatarso et tarso 3:ii paris etiam supra eodem modo spinosis, (palpis in lateribus partis tibialis et tarsalis etiam densius spinosis), tarsis et metatarsis etiam 4:ii paris aculeis nonnullis fortibus subter armatis; abdomine

<sup>1</sup> Melius *Acantodon* quam *Acanthodon*: ἀκαντα, spina; ὀδοῦς, dens.

ovato, nigricanti-piceo, mamillis exterioribus crassis, subconicis, vix duplo longioribus quam crassioribus basi. — ♀ ad. Long. circa 35 millim.

Femina adulta singula a Cel. SJÖSTEDT in Camerun inventa est. — Forsitan non nova, sed jamdudum descripta est hæc aranea?

Gen. *Cyphonisia*, SIM. (?) 1888.

2. *C. (?) soleata* n., cephalothorace alto et convexo, nigro, sulco centrali transverso pæne recto vel levissime recurvo, aream oculorum latitudine paullo superante, hac area circa  $\frac{1}{4}$  latiore quam longiore, antice angustiore quam postice; oculis anticis in seriem fortissime procurvam vel in trapezium antice multo latius quam postice dispositis, lateralibus anticis mediis anticis paullo minoribus, saltem angustioribus, oblongis, spatio longitudine sua evidenter majore separatis, mediis anticis magnis, rotundis, spatio dimidiam diametrum suam vix æquante separatis; serie oculorum posteriorum multo minorum parum anteriora versus curvata; mandibulis apice æqualiter rotundatis, rastello e dentibus angustis, quasi setis, formato; labio apice, ut maxillis basi, intus, dentibus modo paucissimis (uno alterove) præditis, pedibus nigris et pallido-sub-lineatis, basi cum sterno piceis, tarsis pallidioribus, scopulis fuliginis: pedibus 1:i et 2:i parium scopulis densissimis, ipsis articulis latioribus, præditis, his scopulis integris et ad basin metatarsorum pertinentibus, scopulis metatarsorum 3:ii et 4:i parium modo apicem internodii occupantibus et plus minus evidenter sectis, metatarsis et tarsis anterioribus aculeis carentibus, metatarsis 3:tii et 4:i parium aculeatis; unguiculis superioribus tarsorum subter in medio circa 3 dentibus armatis; abdomine nigerrimo, mamillis brevissimis, nigricantibus. — ♀ ad. Long. (cum mandib.) circa 18 millim.

Feminam adultam singulam in Camerun cepit SJÖSTEDT. — Etsi dentes rastelli in hac specie »minutissimi» dici non possunt,<sup>1</sup> huic generi adscribi posse videtur species nostra.

<sup>1</sup> Conf. SIMON, H. N. d. Araignées, 2:de Éd., I, p. 120.

Long. cephaloth. ejus 8 millim. est, lat. ej.  $6\frac{1}{2}$ , lat. front.  $3\frac{1}{2}$  millim. Ped. I 16, II pæne 16, III  $15\frac{1}{2}$ , IV 21 millim. longi: abd. 9 millim. longum,  $5\frac{1}{2}$  millim. latum.

Gen. *Bolostromus* (Auss.) 1875.

3. *B. fodiens*, n., cephalothorace fere dimidio longiore quam latiore, piceo, parte cephalica longa, alta et convexa, fronte latissima, sulco centrali sat fortiter procurvo, aream oculorum latitudine pæne æquante; oculis anticis in lineam rectam dispositis et spatiis sub-æqualibus disjunctis, lateralibus anticis oblongis mediis anticis rotundis paullo minoribus vel saltem angustioribus, mediis posticis parvis a lateralibus posticis spatio modo minuto separatis; mandibulis fortissimis, in apice truncato rastello inæquali e dentibus fortibus formato armatis, labio non longiore quam latiore, denticulis carente, maxillis quoque lævibus, pedibus præsertim 3:ii paris sat dense aculeatis, tarsis aculeis debilioribus armatis, tarsis 1:i—3:ii parium scopulatis; unguiculis superioribus saltem pedum anteriorum binis ordinibus dentium pectinatis; abdomine nigro, mammillis exterioribus abdomine saltem triplo brevioribus, testaceis, art. 3:io apicem versus angustato, sub-conico, obtuso. — ♀ ad. Long. (cum mandib.) c:a 14 millim.; long. cephaloth. 6, lat. ej. paullo plus  $4\frac{1}{2}$  millim.

Femina singula adulta ad N'dian in Camerun a SJÖSTEDT capta est. — Cel. SIMON dicit<sup>1</sup> oculos anticos in gen. *Bolostromo* in lineam «leviter sed evidentè procurvam» dispositos esse, quod in nostram speciem non bene cadit.

Subfam. Theraphosinæ.

Gen. *Lycotharses*,<sup>2</sup> n.

A reliquis generibus hujus subfamilie, vel saltem a *Pelinobio*, KARSCH, *Harpactotheria*, SIM., aliisque *Solenocomicis*, SIM.<sup>3</sup> hoc novum genus *scopula lateris exterioris partis femoralis palporum* et *impressionibus sterni* distingui posse videtur.

<sup>1</sup> H. N. d. Aragnés, 2:de Ed., I, p. 120.

<sup>2</sup> Λυκοθαρσής, a λύκος, lupus: θάρσος, audacia.

<sup>3</sup> Id., ibid., p. 133 et 147.

4. *L. Sjöstedtii* n., cephalothorace crassiore, parte cephalica satis convexa, obscure rufo-fusco, pube brevi rufo-fusca et ferruginea tecto, sulco centrali transverso, leviter procurvo, non profundo, latitudinem areae oculorum circa duplo latioris quam longioris latitudine æquante; sterno impressionibus parvis 4 posterius notato, parte femorali palporum in latere exteriore fascia longa sat lata scopularum munita, pedibus sat longis, 4:i paris reliquis longioribus, inermibus, modo in apice metatarsorum hujus paris aculeis paucis munitis, apicem obtusum (non recte truncatum) versus paullo angustatis, metatarso 4:i paris metatarsum 1:i paris longitudine superante, sed tibia cum patella 4:i paris longitudinem tibiæ cum patella 1:i paris modo æquante, scopulis densis subter in tarsis et metatarsis, quæ ultra medium (non usque ad ipsam basin) metatarsorum pertinent, et ipsis articulis latiores non sunt. — ♀ *ad.* Long. (cum mandib.) circa 40 millim.

Femina. — Tuber *oculorum* fere duplo latius quam longius est, modice elevatum; series oculorum antica sat leviter est procurva, hi oculi sat parvi, spatiis oculi medii diametrum pæne æquantibus separati; medii antici rotundi margine antico ad medium lateraliū pertinent, laterales antici, oblongi et postice acuminati sunt, longitudine diametrum anticorum saltem æquantes et iis multo angustiores. Centra seriei posteriorum, quæ pæne aque longa est atque series antica, lineam leviter recurvam formant, his oculis paullo minoribus quam sunt oculi seriei anticæ; oculi medii postici fere duplo longius a lateralibus anticis quam a mediis anticis remoti sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei eorum diametro non parum est majus. *Sternum* paullo longius quam latius, fere 5-gonum, anteriora versus angustatum, antice truncatum, postice latum et breviter acuminatum; impressionibus 4 parvis notatum est, quarum duæ paullo longius inter se quam a marginibus sterni lateralibus sunt remotæ, ovatæ, oblique positæ, et pæne duplo longius a margine sterni antico quam ab apice ejus postico locatæ, duæ reliquæ non parum ante eas pæne transversæ et angustissimæ sunt, ad ipsos margines sterni laterales et parum pone medium ejus sitæ. *Maxillarum* angulus anterior-interior anteriora versus productus acuminatus. *Pedes* sat longi, pæne æquali crassitie, scopulis densis integris pæne ad basin metatarsorum pertinentibus præditi, et pube densa rufescenti-cinerea præterea vestiti, hac pube in femoribus magis cinerea et colorem pallide æneum vel virescenti-cinereum sentiunt. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, forma solita, pube appressa rufo-fusca vestitum et pilis longis rufis sparsum. *Mamillæ*, quæ forma sunt ordinaria et subter scopulatæ videntur, art. 3:um reliquis paullo longiorem et angustiozem habent.

Lg. cephaloth. pæne 20, lat. ej. 14, lat. front. pæne 10; spatium inter foveam centr. et marg. front. 11, inter hanc foveam et marg. cephaloth. post. circa  $4\frac{1}{2}$ ; lg. sterni fere 7, lat. ej.  $6\frac{1}{2}$ . Long. palp. 30; lg. ped. I  $50\frac{1}{2}$ . (tib. cum pat. 18, metat.  $7\frac{1}{2}$ ), ped. II 41, III 39, IV  $55\frac{1}{2}$  (tib. cum pat. 18, metat. 12) millim.; lg. abd. 17, lat. ej. saltem 10; lg. mamill. exter. 8 millim.

Feminam singulum adultam in Camerun invenit SJÖSTEDT.

Gen. *Hyarachne*,<sup>1</sup> n.

Cephalothorax humilis, parte thoracica leviter convexa, fovea centrali parva, profunda, breviter transversa.

Area oculorum transversa, circa duplo latior est quam longior, et fovea centrali cephalothoracis non parum latior. Oculi antici in seriem paullo procurvam dispositi sunt; series, quam formant centra posticorum, leviter est recurva. Oculi medii antici rotundi lateralibus anticis oblongis paullo majores et multo latiores sunt, margine antico paullo ante centrum lateralium pertinente; spatio pæne dimidiam diametrum suam inter se, a lateralibus vero spatiis etiam non parum minoribus, remoti sunt. Oculi medii postici oblongi lateralibus posticis iis quoque oblongis non parum minores sunt et spatio non parum minore a mediis anticis quam a lateralibus anticis remoti; medii postici spatio modo parvo a lateralibus posticis separati sunt.

Sternum parum longius quam latius, inverse ovatum, planum, impressionibus carens; labium liberum, sub-transversum, apice late truncato, subtiliter granuloso.

Mandibulæ simul sumptæ dimidiam latitudinem cephalothoracis vix latitudine æquant, rastello carentes.

Maxillarum angulus anterior-interior paullo productus est; ad basin intus aream parvam dense granulosa exhibent maxillæ.

Pedes ita: IV, I, II, III longitudine se excipiunt; unguiculis binis lævibus pradi sunt, aculeis carentes. Tarsi apice obtusi, non recte truncati. Scopulæ magnæ et densissimæ pæne usque ad basin metatarsorum I et II pertinent; in metatarso IV saltem apicem internodii tegunt; in tarso (et saltem ad partem in metatarso) IV scopulæ late sectæ sunt.

<sup>1</sup> ἵς, sus, ἀράχνη, aranea.

Mamillæ exteriores tri-articulatæ, articulis cylindratis, art. medio parum longiore quam latiore et reliquis brevior, 1:mo et præsertim 3:io, qui saltem duplo longior quam latior est, eo evidenter longioribus; mamillæ interiores parvæ, breves, circa ad medium art. 1:i exteriorum pertinentes.

Typus: *H. horrida*, n.

Differt hoc genus a »*Solenocosmieis*», SIMON, præsertim scopulis tarsorum 4:i paris secundum totam longitudinem sectis, præterea, ut videtur, *Loxomphalia*, SIM., et *Harpaxotheria*, id., affine.

5. *H. horrida*, n., cephalothorace humili, parte cephalica leviter convexa, pube rufescenti et cinerascenti vestito; fovea centrali parva, profunda, paullo transversa, tubere oculorum foveam centalem latitudine non parum superante, pedibus posticis anteriores pedes longitudine paullo superantibus, pube densa cinerascenti vestitis et pilis valde longis, patentibus quasi plumosis, tibiis, metatarsis et tarsis macula rufo-fusca supra notatis et tarso præterea macula ejusmodi apicali, scopulis saltem ad partem in colorem viridi-æneum exeuntibus; abdomine pube ferruginea tecto et pilis longis minus densis ferrugineis sparso. — ♀ ad. Long. circa 41 millim.

Feminam singulam adultam ad Bonge (Camerun) cepit Cel. SJÖSTEDT.

Gen. *Ichnocolus*, AUSS., 1871.

6. *I. tomentosus*, n., cephalothorace ferrugineo-fusco, ferrugineo-tomentoso, parte cephalica modice convexa, fovea centrali non parum procurva, tuber oculorum humile latitudine vix æquante, saltem duplo latiore quam longiore; sterno paullulo latiore quam longiore, impressionibus 4 parvis ad margines laterales munito, pilis brevibus subappressis ferrugineis vestito et aliis longioribus suberectis sparso, maxillis et coxis fere eodem modo ac sterno pilis vestitis; pedibus 4:i paris pedes 1:i paris longitudine paullo superantibus, pilis longioribus cinerascentibus et ferrugineis sub-tomentosis aliisque etiam longioribus sparsis, subter multis setis fortioribus fasciam longitudinalem formantibus præditis; scopulæ tarsorum metatarsorumque anteriorum angustissime sectæ, scopulæ vero

tarsorum et metatarsorum posteriorum latius et minus æqualiter sectæ, scopulis metatarsorum maximam partem apicalem internodii occupantibus; metatarsis sex posterioribus apice subter aculeatis, pedibus præterea inermibus; abdomine fusco, pilis rufescentibus sparso; mamillis exterioribus abdomine plus duplo brevioribus, nigricantibus. — ♀ (*ad.?*) Long. fere 25 millim.

Femina. — *Cephalothorax* 8 millim. longus est,  $6\frac{1}{2}$  millim. latus, frons paullo plus 4 millim. lata. Area *oculorum* saltem duplo latior est quam longior, series oculorum postica pæne æque longa atque antica. Series antica modice procurva est, series postica, quæ serie antica vix est brevior, leviter recurva. Oculi medii antici spatio circa dimidiam diametrum suam æquante inter se distant, a lateralibus anticis oblongis — qui mediis anticis paullo minores vel saltem angustiores sunt — spatio etiam paullo minore separati; oculi postici oblongi lateralibus anticis paullo minores sunt, medii postici cum lateralibus posticis (postice) contingentes; medii postici a mediis anticis spatio non parum minore quam a lateralibus anticis sunt remoti. *Labium* sub-quadratum, area apicali lata granulorum minorum densorum scabra; *maxillæ* quoque ad basin intus area ejusmodi granulorum prædita est. Ped. I 22 (pat. + tib. 9, metat.  $3\frac{1}{2}$ ), II 19, III 17, IV  $23\frac{1}{2}$  (pat. + tib. 9, metat. 5) millim.; abd. 13 millim. longum, et pæne 8 millim. latum; mamillæ exteriores circa 5 millim. longæ.

Feminam singulam, quæ adulta videtur, in Camerun cepit SJÖSTEDT.

Gen. *Ammonius*,<sup>1</sup> n.

Typus hujus generis, quem cum Clar. SIMON communicavi, ab eo ut generis adhuc ignoti agnotus fuit, gen. *Leptopelmati* (Auss.) præsertim affinis. Area oculorum in hac aranea multo magis transversa quam in *Leptopelmate* est, oculis lateralibus utriusque lateris pæne contingentibus inter se (in *Leptopelmate* spatio oculi diametrum æquante separati sunt); labium pæne læve est, modo duobus granulis minutis præditum, maxillæ serie singula granulorum ejusmodi; scopulæ tarsorum setis mixtæ sunt, sed non »sectæ», cet.

Typus: *A. populus*, n.

7. *A. populus*, n., cephalothorace humili, postice truncato, parte cephalica parum elevata, anteriora versus fortius angustata, fusco-testaceo, pube sub-appressa sericea cinerascenti-testacea sat dense vestito, sulco centrali trans-

<sup>1</sup> Nom. propr. histor.

verso subrecurvo, area oculorum parva hunc sulcum latitudine parum superante; oculis anticis confertis in seriem fortius procurvam dispositis, serie posticorum ea paullo breviora, parum recurva, pæne recta, oculis mediis anticis rotundis et nigris laterales anticos albicantes et rotundatos magnitudine vix superantibus, posticis oculis, præsertim mediis posticis, iis multo minoribus, et spatio modo exiguo a lateralibus posticis remotis; rastello mandibularum obsoleto (in mare); labio transverso, pæne lævi; parte tarsali palporum longe ante bulbum genitalem pertinente, bulbo testaceo, lævissimo, pæne globoso (paullo oblongo et sub-depresso), incisura parva prope apicem lateris interioris prædita, quæ corpore parvo transverso et truncato occupatur; pedibus apicem versus gracilibus, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientibus (4:1 et 1:1 parium tamen eadem longitudine fere), pilis longioribus mollibus vestitis, scopulis tenuibus et setis mixtis sed non evidenter sectis præditis, aculeis in metatarsis et tibiis anterioribus paucis (in metatarso subter 1. 1.), in tibiis et metatarsis posterioribus compluribus, armatis (calcaribus vel spinis carentibus), femoribus, patellis et tarsis inermibus, unguiculis tarsorum binis, lævibus; abdomine oblongo, subcinereo; mamillis exterioribus testaceis, abdomine plus duplo brevioribus. — ♂ *ad.* Long. (cum mandib.) paullo plus 9 millim.

Marem singulum adultum in Camerun invenit SJÖSTEDT. Long. cephaloth. ejus paullo plus 4, lat. ej. paullo plus 3 millim. est; ped. I 11 (pat. + tib.  $3\frac{1}{4}$ ), II 9, III paullo plus 8, IV 11 (pat. + tib.  $3\frac{1}{2}$ , metat. 2) millim. longi.

## Subordo Antiodontes.

### Tribus Pseudo-territelariæ.

#### Fam. Dysderidæ.

#### Subfam. Segestriinæ.

Gen. *Ariadne*, SAV., 1825—1827.

8. *A. rapinatrix*, n. cephalothorace longiore piceo, lævi, parte cephalica anteriora versus paullo angustata, sterno cum labio piceo; pedibus anterioribus piceis, posterioribus cum